
FIRPO
226
BIBLIOTECA NAZIONALE
TORINO



chi l'a pi 'd fil farà pi 'd teila

Ex libris

LUIGI FIRPO

VBERTI FOLIETAE

In feſto omnium Beatorum ad
Iulium Tertium Pont.
Max. Oratio habita.

Eiuſdem de uitæ & ſtudiorum ratione
hominis ſacris initiati ad Ro-
bertum Nobilem Cardi-
nalem epiſtola.



BIBLIOTECA NAZIONALE - TO

VBERTI FOLIETAE *in Feſto omnium Beatorum ad* IVLIVM III. *Pont. Max.* *Oratio habita.*

QVA' *nam tanta amētiæ vi teneri* Iuli Pont. Max. *quóue tanto ſceleris furore agitari horum temporum hæreticos dicā;ut prænimio de ſanctæ huius ſedis dignitate quibuſcunq; rebus poſſunt detrahendi ſtudio ne ſanctiſſimis quidem illis priſcæ* Eccleſiæ *temporibus parcant?* Etenim *cum morem hunc, quem hodierno die colimus, beatorum virorum, qui pro chriſtiana* Repub. *occubuerint, cōmemorationem aniniuerſarijs feſtis diebus celebrandi, ab ipſis* Chriſtianæ Religionis *initijs atq; primordiis manantem, omniumq; deinceps ſeculorū vſurpatione in* Eccleſia *retentum, ad noſtram vſq; ætatem perductum conſtet, tanta tamen iſti* Nos *noſtraq; oppugnandi feruntur cupiditate, tāto tamq; capitali odio á nobis diſſident, vt dum* Romanos *ritus omnibus rōnibus euertere conātur, in primæ* Eccleſiæ *auctoritatem et conſuetudinem, quā nobiſcum facere, et eandē quæ tum fuerit nunc eſſe intelligant, ſimul inuadere non dubitent.* Quorū *ſingularem audaciam ac temeritatē nihil eſt* Iuli*, quód* Nos *longa* Oratiōe *retundere aggrediamur, cum ipſi in eos ſeſe laqueos induerint, vnde expediri nequaq; poſſint.* Nam *aut hunc ipſum vſum, qui nunc eſt in* Eccleſia*, tum fuiſſe negent neceſſe eſt, aut ſi fateantur fuiſſe non tñ ad imitationem ſatis id valere contendant.* Vtrum *horū*

dixerint,in eo vel non ferendæ impudentiæ, vel intolerabilis arrogantiæ crimen hærebit. Si.n. negent hunc morem Eccleſiæ initio viguiſſe, quid hominibus tam impudenter mētientibus facias, qui rem tam apertam atq; perſpicuam, tam multis priſcorum Patrum cōcionibus in ſolēnibus harū cōmemorationū diebus habitis teſtatam audeant negare? Cū præſertim extet Cypriani viri ſanctiſſimi epiſtola, qua petit, vt dies quo ſancti quidam hoīes ſupplicio ſunt affecti diligēter cum cæteris ſubſcribatur ad anniuerſaria ſolēnia eorū nomine de more Eccleſiæ celebranda. Si fateantur viguiſſe, non tū priſcorū temporū vſus ſatis magnā uim hēre ad īmitandum dicant, Quæ hæc eſt arrogantia, vt quo argumento veteres illi Patres tantarū virtutum, tantæq; doctrinæ atq; ingenij gloria præſtantes ad res confirmandas nullū maius putabant (neq; id iniuria quippe cū mores priſcæ Eccleſiæ ab Apoſtolorū tēporibus proximæ, illorūq; præceptis & inſtitutis cōformatæ pro ipſa Apoſtolorū doctrina ſemp in Eccleſia fuerint accepti) id iſti tot vitiorū ac flagitiorū ſordibus inquinati, nullisq; eximijs ingenij aut doctrinæ opibus muniti audeant contēnere ac pro nihilo putare? Sunt igitur ijdem hac in re, qui in cæteris ferè oībus ſemp fuerunt, ſcelerūmq; ſuorū pœnis exagitantur. Qui.n. tam multa in Deū immortalē, impie nefarieq; cōmiſerint: eius tēpla ſanctiſſima violarint, Crucē ipſam ſalutis noſtræ auguſtiſſimum ſignum atq; arcem de ſuis ſedibus deturbatam ad terram afflixerint ac per ludibrium pedibus conculcarint. Religionis noſtræ ſacroſancta Myſteria polluerint, in chriſtianum ſacrificium: in ipſum Chriſti corpus ſanctiſſimum oīa nefariæ men

tis ſacrilegiq́ꝫ oris maledicta euomuerint, eos putemus tam immanium tamq́ꝫ atrocium criminum impunitatem diutius fuiſſe laturos? Illi vero eas pœnas dant, quæ ſũt eorum ſceleri maxime debitæ, hoc eſt furoris atq; amentiæ, quibus ſacrilegos homines præcipites agi, & ad iuſta debitaq́ꝫ ſupplicia rapi ſinamus. Noſq́ꝫ ad ea quæ ſunt hodiernæ lætitiæ ac celebritatis, hoc eſt ad maiorũ noſtrorum beatiſſimorum hominum, quorũ tam eximia in Chriſtianam Remp. merita extant, memoriam gratis laudibus recolẽdam accedamus. Quorum maxima pars pro Chriſtiana Religione acerbiſſima ſupplicia fortiſſime ſubijt, pars Chriſtianam veritatem hæreticorũ oppugnationibus omnibus ferè tẽporibus labefactatam præclariſſimis ingenij doctrinæq́ꝫ monumentis ſtabiliuit; pars vero ſingularis Iuſtitiæ eximiæq́ꝫ continentiæ, ac cæterarum virtutum laudibus ſupra hominum captum floruit. Quos Ego Iuli Max. ſi uerbis meis pro dignitate non ſatis ornaro, nihil eſt, quòd meam aut ingenij tenuitatem, aut orationis inopiam excuſem, cum clariſſimorum beatorũq́ꝫ hominũ Diuina virtus humani ingenij vim magnitudine ſua tantum exuperet, vt nemo ſit tantis Naturæ atq; induſtriæ præſidijs inſtructus, qui tantarũ rerum geſtarum gloriam, tanta tamq́ꝫ innumerabilia, ac ſupra humanã facultatem & conſuetudinem omnium virtutũ edita exẽpla nõ modo oratione ſe conſequi ſperet, ſed admiratione omnino valeat æquare? Illud igitur in hoc mihi apud te Iuli Max. atq́ꝫ in auguſtiſſimo hoc totius orbis terrarum ſanctiſſimoq́ꝫ loco dicendi impoſito munere iure lætandum eſſe video, quòd de eorum virorum laudibus mihi eſt dicendum; in quibus ſi defece-

ro non tam copiam mihi aut ingenium defuiſſe, quàm rei magnitudine Oratoriam facultatem ſuperari ſit exiſtimandum, neq; tam imbecillitas mea ſit vituperanda, q̃ cõmunis humani ingenij exiguitas recognoſcerda. Sed antequã de ſanctiſſimis viris dicere incipio, pauca mihi de Chriſtianæ Reipublicæ dignitate neceſſario ſunt dicenda. quam rem in veterum more poſitã fuiſſe animaduertimus. Illi. n. cum putarent hominũ gloriam Patriæ ſplendore cumulari, quos viros pro Repub. in bello extinctos in concione laudabant, eorum laudationes cũ Ciuitatis cõmendatione coniungebant, Quod idem nobis maiore etiam ratione nunc eſt faciendum, docendumq; tantum ex Chriſtianæ Eccleſiæ gloria, in eos viros, qui pro illa acerbiſſimos cruciatus mortemq; pertulerint, redundaſſe, vt quanta quamq; præclara viri fortiſſimi Chriſtianæ Eccleſiæ uirtute ſua Diuinitatis dederint teſtimonia, non minorem ipſi ab eximia eccleſiæ dignitate acceperint ſplendorem. Illud igitur apud omnes conſtare oportet Chriſtianæ Reipub. gloriã ſiue finem ſpectaris; ſiue vtilitatem ponderaris; ſiue ad auctorem mentem conuerteris; ſiue leges & inſtituta cogitatione complexus fueris; ſiue rerum geſtarum magnitudinem animo agitaueris; Cæteras omnes Reſpublicas atq; humanas ſocietates, quæcunq; omnibus ætatibus fuerint infinitis gradibus anteire. Ac vt finem primum conſideremus, qui in rebus gerendis principium eſt: cuiuſq; vis in omnia, quæcunq; in hominum actionem cadunt, ita influit, vt ab eo res ſpeciem accipiant, planeq; conformentur; quis negauerit Chriſtianam Rempublicam altiſſimum dignitatis gradum obtinere? Nam cum cæ

teræ omnes Reſpublicæ & ſocietates ad humanum aliquod bonum referantur: huiuſq; vitæ anguſtiſſimis ſpatijs terminẽtur, longe altiora ſpectat chriſtiana profeſſio. Cæleſtem.n. Patriam Vitamq; illam immortalem & æternam cum Deo ipſo degendam propoſitam habet: vt quantum cœlum terris, cumulatiſſimaq; illa bonorum detractis malis omnibus cõplexio, perfectaq; beatitudo humilibus his et terreſtribus rebus præſtat, tantum Chriſtianæ Religioni, ex qua vna ad tam beatæ vitæ ſtatum hominibus gradus fit, reliquæ humanæ ſocietates fluxi & caduci boni cauſa conſtitutæ concedunt. Iam vero quæ vtilitas (quod in dignitate rerum ponderanda proxime ſpectandum propoſuimus) cum hac, quã diximus, æternæ beatitudinis poteſt conferri? quæ etiam maior apparebit, ſi non modo infinitum hoc beneficium animo agitabimus, ſed etiam cogitabimus quàm miſero è ſtatu nos liberarit, ex quàm horribilibus mortis atq; orci faucibus eripuerit, vt in eadem Religione & beatitudinis & ſalutis firmiſſima ſint collocata præſidia. Nam cum præmeretur teterrimo ſeruitutis iugo humanum genus, æterniſq; ſupplicijs mancipatum totum in luctu et ſqualore iaceret, neq; ulla in humanis opibus ſalutis ſpes oſtenderetur. quippe cum parentum noſtrorum culpa tantam vim tantamq; neceſſitatem poſſideret, atq; in humana Natura ita penitus inſediſſet, vt nullius hominis palluto ſanguine labes toti poſteritati concepta poſſet expiari: ipſi Dei filio humana Natura aſſumenda fuit, vt eius duplex vis & quod humanæ imbecillitati deerat Diuina virtute ſupplendo, & quod ab homine ipſo Iuſtitiæ ratio repetebat, humano miniſterio perſoluen-

do,humanæ redẽptionis munus perfecte cumulateq; impleret.
Deus igitur homo factus ſupplicio,quod grauiſſimum pertulit,
pœnas humano generi debitas perſoluit, tetra ſeruitute homi-
nes liberauit,aditum ad cœleſtem Patriam ad illum diem ob-
ctum patefecit,iter ad ſalutem communiuit,Chriſtianamq; Ec-
cleſiam fundauit.Igitur(quæ tertia fuerat Rerumpub. cõmen
datio,Dei ipſius filius Patri numine,poteſtate , æternitate,re
liquiſq; ex omnibus partibus par Chriſtianæ Eccleſiæ auctor
et inſtitutor fuit . Quod ſi in dignitate Rerumpub.æſtimanda
tantum in auctore ponebat Antiquitas,vt originem ſuam atq;
primordia ad cõmentitium aliquem Deũ vnaquæq; ferè paulo
illuſtrior ciuitas referret, quòd ex auctoris dignitate aliquid
in poſteros cõmendationis permanare arbitraretur, quæ gens
in pari huius rei cum Chriſtianæ Eccleſiæ cõmendatione ver
ſetur , quæ Chriſti hominis veriq; Dei cruore ſit fundata?
Sed(quod deinceps in rerum dignitate perpendenda ſequeba-
tur)non minorem ſplendorem Chriſtianæ Eccleſiæ concilia
uit legum & inſtutorum præſtantia.In qua re tantum cæte
ris gentibus antecellimus,quãtum cæteris legumlatoribus præ
ferendus eſt legislator noſter Deus.Cæteræ.n. leges id ferè
vitij omnes habent,vt in exterioribus hominum actionibus re
gendis ac moderandis totæ ferè ſint occupatæ;de interioribus
vero partibus formandis(quod legumlatorum præcipuum mu
nus eſt) non valde ſanè laborent.Ita fit vt appetendi iraſcen
diq; vires nullis præceptis aut inſtitutis aſſuefactæ liberæ
ſuiq; arbitrij relinquantur,quæ cum Natura vehementiſſimos
impetus habeant,actiones ab illis extra manãtes nullo poſſunt

legum

legum præſcripto coerceri, nulliſq; præceptorum frenis con-
ſtringi, ſed libidinum & cupiditatum ardentiſſimis æſtibus
incitatæ omnia uincula perrumpunt. qua re fit ut talibus legi-
bus Ducibus homines neq; iuſtitiam, aut vllam omnino vir-
tutem colere, neq; pacem et concordiam (qua m rem leges in pr
mis ſpectare videntur) inter ſe poſſint tueri. At Chriſtianæ
legis vis in interiore homine formando in primis exprimitur.
Quo fit ut pijs moribus mens imbuta, ſanctiſq; habitibus pla
nè conformata nullis interioribus permotionibus extra officij
fines prouehatur. Atq; ego nunc Iuli Max. de chriſtiana lege,
vt certa præcepta habet, quemadmodum cæteræ leges, quibus
homines ad iuſtitiam fidem, pacem, concordiam, cæteraſq; vir-
tutes dirigũtur, ita adhuc loquor, illa quæ in ea longe ſunt præ
ſtantiora, quæq; nullam cum cæteris legibus ſimilitudinem aut
comparationem habent, & quæ neq; vllis præceptis continen
tur, neq; vllis ſunt tabulis, aut ſcriptis conſignata in præſentia
omitto. Vera.n.ac præcipua Chriſtiana lex eſt Diuini Spiri
tus gratia, quæ fidei virtute in hominum mentes influit: cuius
beneficio cum Deo arctiſſimo neceſſitudinis vinculo coniungi
mur: Diuinitatiſq; participes planè efficimur. Verũ ego hæc
(vt dixi) tanq̃ cæteris gentibus ad percipiendum obſcuriora
in præſentia omitto. Extrema fuerat rerum geſtarum magni-
tudinis gloria. In qua re qui populus, quæ Ciuitas, quod deniq;
Imperium Chriſtianæ Eccleſiæ non primas tribuerit, quæ to
tum ferè Orbem terrarum, cunctos Reges, ac populos, ipſum
deniq; Romanum Imperium circiter trecentorum annorũ ſpa
tio ditioni ſuæ ſubiunxerit: vt nõ modo cæteri Reges ſed Ro-

mani ipſi Imperatores humi abiecti Chriſtianum Pontificum pedes ſint oſculati. Qua victoria vt nihil eſt ad gloriam inſignius, ita maiorem propè quàm ipſa uictoria admirationem habet vincēdi ratio. quod vt planius fiat, iam videtur nobis locus dari, vt ad clariſſimorum hominum laudes, qui tantam hanc victoriam virtute ſua pepererunt, quod eſt inſtitutæ orationi in primis propoſitum, tandem accedamus. Nego igitur aut cum hoſtæ valentiore vllum vnq̃ populum contendiſſe q̃ Chriſtianum cum omnium Florentiſſimo Romano Imperio, aut Romanos ipſos in vllā vnq̃ gentem atrociores extitiſſe q̃ in chriſtianum nomē. cæteros.n.populos ſatis habebant ſi victos bello Imperio ſuo ſubiungerent, ac leges accipere retractantes cogerent. Idq; ſummopere laboraſſe videntur, vt non minora in victos manſuetudinis ſuæ, q̃ bellicæ virtutis expromerēt monumenta. At chriſtiani nominis nunq̃ victoriam, ſed ſemper internicionem per acerbiſſima ſupplicia quæſiuerunt. Age mētem nunc & cogitationem ad chriſtianos homines conuertamus, ac cum animis ipſi noſtris contra reputemus, quibus illi armis tātis opibus reſtiterint, eaſq; ab extremum ſuperarint, Quo & victoria appareat mirabilior, et virorum, quorum memoriam celebramus, virtus ſit inſignior. Cruciatibus, quos maximos crudelitas edere potuit perferendis, morti ſeſe ſponte offerendo egregiam hanc victoriam maiores noſtri peperunt. Quorum cruciatuum ac ſuppliciorum ingens multitudo atq; acerbitas adeo fortiſſimorum hominū animos atroci horribiliq; aſpectu atq; perpeſſu nunq̃ fregit, vt non modo incitatum Religionis ardorem non reprimeret, ſed cōtra ſtudia ex-

citaret: cum ſæpenumero ipſi tortores in crudeliſſimo ipſo munere lacerandorum hominum, ac necandorum adminiſtrando Diuino numine repente correpti ſeſe quoq; chriſtianos eſſe clamarent, quæq; alteri offerebant ſupplicia ea ipſi ſponte ſubirent. Qua in re id aſſequebantur hoſtes noſtri vt pro uno Chriſtiano, quem excruciatum necabant cõplures ſubito excitarentur, ut in chriſtianorum cruore vis ſeminis ineſſe videretnr, quod terræ mandatum vberrimos hominum Chriſto naſcentium fructus ferret. Itaq; tam diuerſa a reliquis hominibus vincendi ratio: cum cæteri hoſtibus interficiendis, aut capiendis victoriam pariant, Chrſtianis ſuis ſibi ſupplicijs victoria conſtet, apertiſſimo eſt teſtimonio neq; victoriam vllam admirabiliorem vnq̃ fuiſſe, neq; in fortitudinis laude ullam gentem poſſe ad maiorem noſtrorum gloriam aſpirare. Nam qui in acie diſcrimen vitæ ſubierint multos quidem de ſuis hominibus complures populi proferre poſſunt. Sed nõ magnam fortitudinis laudem ea videtur res habere, Nam prælio commiſſo hominũ mens pugnæ ardore ueluti ab ſe ſe abducta non ſatis habet ad ſe colligendum ſpatij: vt periculi magnitudine animo agitata, ac metu in conſilium adhibito deliberare ſecum poſſit ad eundum ne illud periculum ſit, ſed impetu quodam præceps fertur, neq; ferè quiſq; eſt, qui non potius mortem ſe hoſti oblaturum, q̃ ſeipſum in acie caſurum ſperet. Tot præterea hominum millium, quibus exercitus conſtat, diſcriminis ſocietas veluti periculi partitio quædam magnam habet timoris alleuationem. Mutua nanq; ope ſeſe tutos confidentes aduerſum a ſe caſum unuſquiſq; ſpe propulſat, & ad ſo

cium delegat; cũq; certe in tanta multitudine è cæde plures elabi neceſſe ſit, nemo ferè eſt, qui non ex ijs ſeſe fore confidat. Quo fit vt ex ea re, quæ certam mortem non oſtendat, mortis contemptus in hominibus colligi non poſſit, ſiquidem multos videmus nullum in acie timoris ſignum dediſſe, quos ſi ad tribunal conſtitutas, illiſq; haud dubiam mortem denunties abiecto animo repente concidere. Qui vero ad tormenta et ad certam mortem conſtanti intrepidoq; animo rapitur; quem nullæ tortoris aut carnificis formidines labefactant, qui cum nulla vitandi ſupplicij ſpes oſtenditur, propoſiti tamen retinens eſt, hunc dicere poſſis veram fortitudinis laudem aſſecutum. At eiuſmodi homines tres aut quatuor apud ſingulos populos vix poſſis nominare, cum de Chriſtianis plus decies contenta millia proferantur, quos tormentorum horribilis aſpectus atq; perpeſſio nihil commoueret: qui extremi ſupplicij certiſſima atq; ante oculos poſita expectatione non deficerent; qui Eculei, qui crucis, qui ſerræ, qui candentium laminarum atrociſſima ſpecie non debilitarentur, ſed omnes terrores, omnes acerbitates, omnes cruciatuum faces, omnes dolorum morſus virtute proſternerent. Neq; vero tantæ virtutis admiratio ſolis viris iiſq; confirmatæ iam ætatis definitur: quibus ad tormenta perferenda quanquàm humanæ fortitudinis vim acerbitate ſua longe ſuperabant, aliquid tamen opis in ætatis & ſexus robore fuiſſe ſuſpicemur; ſed Fœminæ quoq; & imbecilli pueri in præclaro hoc agone ſancta emulatione pariq; fortitudinis laude cum viris certarunt; cum non modo eadem omnia tormenta quæ viros ſubijſſe re-

tulimus , teneræ virgines in corporibus ſuis conſtantiſſime ſint perpeſſæ: Verum etiam (quod penè fidem habere non videtur) Matres ipſæ natos ſuos atrociſſimis cruciatibus lacerari non modo intrepido animo inſpectarent , ſed eos etiam vltro hortarentur ne animo deficerent , neue tormentorum ſtimulis victi Chriſti fidem negarent , ſed cruciatuum faces patienter ferrent . Quin etiam de nonnullis memoræ proditum eſt , cum audiſſent in alia Ciuitatis parte in cæteros Chriſtianos ſeuiri , ipſæq́ latendo ac diſſimulando immaniſſimam Tyrannorum rabiem effugere poſſent , lætas accurriſſe , paruuloſq́ natos ſuos ad eaſdem acerbitates ferendas ſecum duxiſſe , neq́ aut materna indulgentia , aut miſerentium miniſtrorum monitis ab inflammato ſtudio abduci aut retardari potuiſſe : O eximiam , ac ſupra hominum captum maiorum noſtrorum virtutem , o nullis cum gentibus conferendum fortitudinem, Verberibus ad necem cedi, interiorem virtutem non conteri ; tormentorum vi ac magnitudine vires corporis deficere , animo non concidere: Atrociſſimis cruciatibus corpus torqueri , virtutem animi non debilitari: Ardentiſſimo igne corpus cremari, charitatis ardorem non conſumi , A fera beſtia corpus laniari, virtutem non diſtrahi: inteſtina auelli, a conſtantia, propoſitoq́ non abduci: Toto corpore lacerari,animo non frangi : Natorum eiulatus audire, cruciatus inſpectare,maternum animum non inflecti. Vt ego mihi optarem tantarum rerum tantæq́ fortitudinis gloriæ parem orationis copiam ac facultatem dari . Profectò in illis commemorandis , atq́ extollendis nullo vnquàm

labore aut ſatietate defatigarer. Si modo laus hæc tota fortitudinis eſt exiſtimanda, ac non maiorem in ea partem obtinet charitas; nam etſi tam multa illa admirandæ virtutis exempla a fortitudine edebantur, eadem tamen a charitate imperabantur. Neq́ enim fortitudo ipſa ſuis ſatis viribus conſtare potuiſſet charitatis opibus deſtituta. Quæ virtus veteribus planè ignota, ac Chriſtianorum hominum propria, cum in cæteras virtutes ita influat eaſq́ conformet, vt ſine ea ne virtutis quidem nomen vlla earum poſſit obtinere, apparet tantarum laudum ſocietatem non modo cum charitate eſſe cõmunicandam, ſed maiorem partem charitati eſſe tribuendam. Sed fortium virorum in Chriſtianam Remp. merita quanquàm infinita ſunt, nullaq́ vel longiſſima oratione ſatis vnquàm laudata non tamen nos hoc ſolo ſtudio ita conuenit efferri, vt ſilentio prætereamus immortalia beneficia, quæ chriſtiana Eccleſia ab ijs viris non minora propè accepit qui in ea omni literarum, & ingenij gloria floruerunt. Nam vt externis vexationibus Chriſtiana Eccleſia in primis exercitr fuit atq́ infeſta, ita domeſticæ illius res non magis quietæ ac tranquillæ fuerunt. Neq́ enim vlla vnquàm gens magis ex inteſtinis diſcordijs laborauit, quàm Chriſtiana veritas hæreticorum ſeditionibus omnibus ætatibus iactata fuit & exagitata. Verum vt aduerſus exteros hoſtes Diuinus Spiritns Chriſtianam cauſam ingentibus fortium Virorum animis armauit, qui tormentis conſtantiſſime perferendis, morteq́ fortiter oppetenda præclarum ſanguine ſuo Chriſtianæ Eccleſiæ veræ Religionis teſtimonium dederunt, vn-

de eſt illis Martyrum ductum nomen, ita aduerſus hæreticorum diſſidia et oppugnationes non imbecillioribus opibus chriſtianam Veritatem communiuit. Quamplurimos enim doctos homines excitauit, qui impia dogmata firmiſſimis rationibus refellerent. Qui in Diuinarum cæterarumq́ magnarum rerū ſcientia ac doctrina tantos progreſſus habuerunt, vt in eorum gloria Philoſophorum nomen a Chriſtiano ſplendore ſit obſcuratum. Nam cum ſapientiæ ſtudio ſupremæ illius veritatis hoc eſt Dei immortalis cognitio ſit propoſita, quouſq́ tandem tantis diſputationibus, tam multis quæſtionibus & controuerſijs, tanta deniq́ contentione in hac inueſtigatione proceſſit Philoſophorum labor ac ſtudium? aut ad quem ſcientiæ gradum in Diuinarum rerum notitia tandem peruenit? Vt enim omittam vetuſtiores illos, qui de Deo ac primo rerum principio tam varia, tamq́ abſurda locuti ſuut, tamq́ in ijs rebus erranteset vagas opiniones habuerunt, vt de ſuo vnuſquiſq́ capite Deum fingere videatur; ac cum Poetis certare, plures ne illi de Dijs fabulas attulerint, ac plura ipſi de Diuina Natura ſomnia commenti ſint; cum alius Diuinum numen rerumq́ primordia ad ignem aut elementorum aliquod referat, alius in caſu fortuitoq́ atomorum concurſu principia rerum ponat, alius etiam (ſi Dijs placet) Diſcordiam Deum faciat, alius alia deliramenta loquatur, quæ ſingula perſequi haud ſanè eſt operæ prætium, tum quod eiuſmodi ſomnijs ac nugis riſum potius hominibus commouere, quàm vllam voluiſſe doctrinam tradere videri poſſint, tum quod tribus ijs libris quos aduerſus Philoſophos ſcripſimus, et ad te Iuli Max-

miſimus, quibus etiam Iuris ciuilis laudes complexi ſumus. ſatis eſt a nobis Philoſophiæ ſtudium exagitatum atq; reprehenſum. Vt igitur eos omnes omittam, Quid? Peripatetici ipſi, qui Ariſtotele Duce ac Magiſtro de nаturalibus Diuiniſq; rebus paulo ad veritatem propenſius diſputarunt, quicq̃ magnum, aut amplum de Deo ac prima rerum cauſa nobis attulerunt? aut quicquàm in ijs rebus ſtabili certáue ſcientia comprehenderunt? Quantis in æſtuationibus Dij immortales, quantis in anguſtijs, quantis in controuerſijs atq; inter ſe varietatibus cum ad ſublimia hæc inueſtigationem adijciunt, verſantur, quam pauca, quàm parua, quàm exilia de rebus Diuinis aſſequuntur: eaq; quàm incerta, q̃ parum explicata, quàm euerſu facilia tradunt. At Chriſtianorum hominum ſplendida ingenia Diuino ſpiritu lumen præferente quàm multa, q̃ magna de Diuino numine, de eius eſſentia, de ſapientia, de libera voluntate, de perſonarum manatione ac diſtinctione, de rerum creatione atq; primordijs, de æterna prouidentia, de animorum natura & immortalitate, de ſumma beatitudine, deq; alijs innumeris ac præclaris rebus ſunt aſſecuti, earũq; rerum quàm ſtabilem, q̃ conſtantem, quàm perſpicuam doctrinam tradiderunt; Quantis deniq; ex errationum tenebris Diuinarum rerum cognitionem eduxerunt: atq; in apertiſſima veritatis luce collocarunt; vt pueri & Aniculæ noſtræ maiorem & perfectiorem de Diuinis rebus, eamq; minus errantem, magiſq; explicatam notitiam habeant, q̃ vlli veterum doctiſſimi habuerint. Neq; vero tantarum rerum ſola cognitione & ſcientia, aut nuda ſimpliciq; traditione contenti fuerunt

maiores

maiores noſtri, ſed eaſdem literarum monumentis ita cōmendarunt, vt nullum doctrinæ ſtudium aut maiore rerum copia & varietate, aut ſubtiliore diſputandi ratione, aut pluribus orationis ornamētis, maioreq́ verborum et ſententiarum ſplēdore fuerit vnq̃ tractatum. Neq; enim (vt cæteros innumerabiles omittam) in Nazianzeni oratione Demoſthenis ſonitus aut fulgura deſideramus, neq; Chryſoſtomus non beatiſſima illa copia & vbertate, omniq́ exornationum & amplificationum genere Ciceronē nobis expreſſit; Romani vero Leonis diuinæ ſummæq́ dignitatis plenæ breuitati verborum numerum ſententiarum multitudine & pondere propè ſuperanti quem tandem de externis æquabimus? in Auguſtini vero & Thomæ cæleſti ingeniorum acie acerrimaq́ in diſputando vi an non Ariſtotelis nomini Chriſtiana gloria reſpondit? Atq́ in doctorum hominum laudibus, q̃q̃ infinitæ ſunt, tamen longiores eſſe non debemus, tum quòd diuinis literarum monumentis ſine cuiuſquam oratione nomen ipſi ſuum immortalitati ſatis commendant, tum quod temporis anguſtiæ nos cogunt aliquem tandem orationis modum facere. Cum præſertim eorum virorum memoria ſilentio non ſit prætereunda, quos video inſtare, quorumq́ infinita turba me iamdudum ſentio vrgeri. Ii ſunt beatiſſimi illi viri qui tantis continentiæ atq́ iuſtitiæ laudibus floruerunt, vt in eorum virtute Chriſtianorum gloria cæteras omnes nationes quarūcunq; in ijs laudibus nomen paulo clarius extat, infinito interuallo ſuperarit. Nam cum continentiæ uis in duas ſeſe partes fundat vt & a voluptatum illecebris, & ab opum cupiditate corpus & mentem integrā ſer-

ues, quæ gens Chriſtianis hominibus erit æquanda, ſi cogitare voluerimus pro tribus aut quatuor, quos vnuſquiſq; populus proferre poſſit, quorum fuerit excellens in ea laude præſtantia: innumera apud nos hominum millia extitiſſe omnibus continentiæ partibus cumulatorũ. Cum illud ſatis conſtet eum morem pluribus ſæculis viguiſſe, vt multo maxima hominũ pars omni re ſua in cõmune collata, eiuſq; diſtributiõe ſacerdotibus, qui Eccleſijs præerant permiſſa, in ſolitudinẽ ipſi concederent, ibiq; tenui victu contenti non modo oẽm ætatem ab omni cupiditate diſiunctam, atq; ab omni Auaritiæ et uoluptatum contagione purã atq; integram agerent, ſed lege quoq; ſibi ipſi & voto earum rerum libertatem præciderent. Cumq; Iuſtitiæ laus & vis in eo uerſetur, vt ſua vnicuiq; tribuamus, neq; quenq̃ per iniuriã lædamus, quis vtraq; in re huic virtuti proximior fuit q̃ ij viri, qui rebus ipſi ſuis ſeſe ſponſe priuarint, ne dum illi aliena auferrent, quiq; ab inferẽdis iniurijs tantũ ſemp abfuerint vt in illis potius perferendis præcipuam Chriſtianæ profeſſionis laudem conſtituerent. Ac de Beatorum hominum virtutibus quãuis non ſatis pro dignitate dictum ſit, neq; vero dici poſſit, tamen breuitate temporis cogimur paucis his eſſe contenti. Sequitur vt de præmijs nõnihil attingamus, ac q̃ breuiſſime videamus, ſatis ne tantorum laborum, ac tantarum vexationũ tamq; duriter actæ uitæ vberes fructus perceperint; ſatiſq; tantis cruciatibus ac ſupplicijs digna merces ſit reddita. Illa vero tanta eſt, vt non mõ nulla oratione poſſit demoſtrari, ſed omnẽ humanæ cogitationis vim effugiat, vt propé nihil mirum ſit maiores noſtros in laboribus exantlandis, ac ſuppli

ciȷs contemnendis cæterorum hominum virtutẽ tam multis gradibus ſuperaſſe, cum ex iȷſdem acerbitatibus ſibi ad ea præmia gradum fieri intelligerent, quæ omnem comparationem infinito interuallo antecedãt. Quid. n. opes, potentia, gloria, Regna, quæ omnia tantis laboribus ac ſudoribus, tam multis diſcriminibus atq́; periculis homines conſectantur veri ac ſolidi boni habent? aut quid ad mentis tranquillitatem, atq́; ad hominẽ beatum faciendum omnino eæ res valent? ad quas ſi quis tandem peruenerit, tantas in illis tamq́; turbulentas moleſtiarum tempeſtates, tantoſq́; ſolicitudinum æſtus offendit, vt nihil aliud ſe tam multis curis, ac vigiliȷs tantaq́; animi contentione quæſiſſe intelligat, quam vt negotiȷ vim ſibi pararet, & quidem longe moleſtiorem, quàm illa ipſa incommoda quæ pro iȷs rebus aſſequendis ſuſceperit. De nominis vero poſt mortem memoria laborare, eſt eiuſmodi: vt non ſatis quem ea in re admirari mortalium leuitatis plenam ſtultitiam, quos eius rei cura torqueat, qua nulla fingi poſſit manior. quid. n. ad hominem huius vitæ ſenſu omnino carentem pertinere poteſt, omnium ſermone celebrari? aut quem omnino ex ea re ſenſum percipere poteſt is, qui de viuorum numero penitus ſit ſublatus? A tam fluxis, tam caducis, tam inanibus, tam falſis bonorum imaginibus longe non ſolum magnitudine, ſed etiam genere differunt Chriſtianorum præmia. Nam vt nullo magnitudinis termino clauduntur, ita nullo ætatis ſpatio terminantur, ſed cum virtute ſunt infinita, ita duratione ſunt æterna. In infiniti. n. illius boni, hoc eſt in Dei ipſius fruitionẽ poſita ſunt, quæ res perpetuum humanæ mentis, ac voluntatis motum, et agitationem infi

nita virtute ſua tandem ſiſtit. Nam cum in Deo Opt. Max. perfecta ſit omnium bonorum detractis malis omnibus & infinita complexio, omniumq; beatitudinum pleniſſimus & infinitus cumulus, fit vt in eius cognitione & amore humana intelligentia ac voluntas planè acquieſcant. neq; enim Diuinam eſſentiam per res effectas aut coniecturas, aut vero per fidem cernunt, ſed apertiſſima viſione intuentur, in qua cum bonitas infinita ſit, infinitas ſui in cōtemplatione voluntatis excitat cupiditates, mutuaq; charitate homines complectens facit, vt totū ipſum Deum homines poſſideant, tamq; arcto amoris vinculo cum illo coniungautur, vt in Deum ipſum cōmutentur, Diuinæq; naturæ participes fiāt. Sed quid ago? eam rem uerbis demoſtrare aggredior, quæ ne cogitatione quidem poſſit adumbrari? Quare illius declarandæ, quod fieri non poteſt, cogitationem omittamus, atq; ad eam aſſequendam, quæ res facultatem habet, totum animum conuertamus. Vna autem eſt ad eā perueniendi via, ſi maiorum noſtrorum fortitudinem, continentiam, virtutem imitabimur, Cuius rei vtinam Nobis cunctiſq; hominibus Natura nobis & Chriſtiana lege coniunctis, aliquando mens detur. Quam quoniam noſtris viribus ſuſcipere non poſſumus, quippe quæ diuinitus ſit immittenda, quibus eam rebus a Deo. Opt. Max. impetrabimus? ijs ſcilicet quas ille pro ſua benignitate apud ſe voluit valere, precibus nimirum partim noſtris, partim vero Bertorum hominum, quos apud eum ſummum gratiæ locum obtinere non eſt dubitandū. Itaq; ſanctiſſimæ Animæ, à quibus me nunc uſq; e cœlo, quod beatiſſimæ, incolitis exaudiri confido, eā nobis virtutē a Deo

immortali impetrate, vt immortalem vitam æternamq́; beatitudinem cunctis rebus anteponentes nullo hoſtium noſtrorum impetu a Diuinarum rerum amore abducamur, quamq́; vos quondam in Tyrannorum vexationibus & crudelitate contemnenda, atq; in carnis & peccati impreſſionibus repellendis ac proſternendis fortitudinem et continentiam præſtitiſtis eãdem nos cum iiſdem oppugnationibus tentamur adhibeamus, vt omnibus in rebus veſtigia veſtra perſequentes cum huius carceris vincula quibus nunc conſtringimur, ſoluentur, perpetua in cœleſti Patria vobiſcum ſummæ beatitudinis ſocietate coniungamur.

ROBERTO NOBILI CARDINALI Ampliſſimo Vbertus Folieta S. P. D.

ET ſi hominum tui ſtudioſorum neminem omnino eſſe puto, cui ſecundæ res tuæ iucundiores ſint, quàm mihi, tamē in hac tua ampliſſimi honoris acceſſione duæ me res a gratulatione retrahebant. Altera quod occupationibus tuis parcēdum eſſe ſtatuebam, neq; in tam magno gratulantium numero, quibus tu omnibus pro tua humanitate voles reſpondere, neceſſitatem meis quoq; literis reſpondendi tibi imponere volebam. Altera, ꝙ cum iam diu gradus iſte honoris a Pontifice tibi ſit non modo deſtinatus ac promiſſus, ſed penè etiam delatus, exiſtimabam voluptatem ex ea re iam ex eo tempore animo cōceptam meo, tibi ita cognitam eſſe, planeq; perſpectam, vt literarum teſtificatione non indigeret. Cum præſertim ſæpe coram tecum hanc ipſam honoris adeptionem gratulatione præcucurriſſem. Sed tamen cum audiſſem te Cardinalem factum, quàmuis voluptas iam (vt dixi) inueterata cumulata non ſit, neq; enim vllus erat cumulo locus, tamen nouos quoſdam lætitiæ motus eo nuntio mihi ſenſi in animo excitari, quos ita comprimere non potui, vt non hanc Epiſtolam ſtatim exararem. Qua primum tibi iterum gratularer: atq; ita gratularer, vt magis ex animo non poſſem, eamq; rem precarer tibi bene fœliciterq; euenire: deinde vt incredibili meo in te amori obſequerer, in te

nonnullis de rebus admonendo .quæ res quãquàm minime neceſſaria videri poteſt, cum quod virtus tua non egeat monitore, tum quod ſint apud te multi cum eximia doctrina tum ſingulari prudentia præditi viri, qui te admonitionibus, & conſilio iuuare poſſint & regere: Tuus præſertim optimus & ſapientiſſimus Parens, a cuius voluntate nunquàm tibi eſt diſcedendum: Tamen non omnino alienum duxi a ſingulari meo erga te ſtudio, ſi hæc quoq́ veluti meæ obſeruantiæ ſigna ad te peruenirent, quibus tu tantum tribues quantum & ipſe tribuendum cenſebis; et cæterorum iudicia, qui me prudentia antecedunt, ab ijs non diſcrepare intelliges. Quorum primum eſt vt Diuinæ benignitatis erga te magnitudinem recognoſcas, quæ tibi in tam altum dignitatis locum præbuerit aſcenſum in ea præſertim ætate, quæ ab eo gradu longiſſime abeſſet, neq́ in hac re aut quicquàm tibi, aut Pont. Max. propinquitati aſſumas, quaſi idcirco debitus tibi fuerit iſte honor. nam contra eá res maiorem in te animi demiſſionem debet excitare. Etenim hoc ipſum, nactum fuiſſe te Auunculum Magnum Pontificem Max. magnus eſt Diuinæ benignitatis cumulus. Quare Diuino numini tantæ gratiæ a te ſunt habendæ, quantas maximas animus tuus capere poteſt. Quod eo etiam impenſius facies, ſi tecum reputare volueris, tam multos homines partim generis ſplendore, partim innumerabilibus virtutum laudibus Florentes in Romana cohorte conſenuiſſe, neq́ tamen ad iſtum gradum, quem tu puer es adeptus, peruenire potuiſſe. omnis igitur (vt dixi) tibi ætas eſſe debet in tanto beneficio grata recordatione colendo, gratiaq́ ob illud Deo habenda, quam

debes. cuius rei faciendæ vna eſt tantum via, ſi te in omnibus non ſolum factis & dictis tuis, ſed etiam cogitationibus ad præceptorum Diuinorum præſcriptum conformabis. Proximum monitum eſt, vt cum præſtantiſſimum inter ſacros homines locum obtineas, ad eas res mentem cogitationemque adijcias, quas ſacerdotis profeſſio poſtulat. Etenim pleriq; noſtra ætate (quod lugendum ſit) dignitatem tantummodo & opes in ſacerdotio ſpectantes: ijſque bianti cupiditate imminentes, quanti oneris quantæque ſolicitudinis res ſit ſacerdotiũ, ſibi curandum non putant, eaque re fit vt nullam officij ſui partem in ſacerdotio gerendo tueantur. qua re quid dici poteſt indignius? Nam ſi nullum eſt tam ſordidum artificium, aut tam humile, vt ad illud ſeſe conferentes non ſibi prius quærendum putent, quod ſit illius artificij officium, quid ue ſit illi propoſitum, vt ad illud poſſint induſtriam & diligentiam ſuam accomodare, quàm turpe eſt in re omnium maxima & grauiſſima ab infimi generis hominibus vinci: neque reputare, quæ ſint ſacerdotum partes: cuiuſque muneris colendi cauſa a Deo inſtitutum ſit ſacerdotium? Hoc te genus hominum a veteri ſacerdotum virtute tantopere degenerantium nequaquàm volo imitari: ſed contra conſiderare cum nihil aliud ſit ſacerdos quàm inter Deum & hominem internuntius quidam atque interpres, precibuſque & ſacrificijs Deum hominibus propitium reddendo, humana apud Deum; ſacris vero Myſterijs hominibus communicandis, ijſdemque Diuinorum ſermonum vberrimo pabulo alendis, & ad Diuinum amorem excitandis Diuina apud homines legatione mutuo fungatur, quã-

tum

tum ac q̃ magnũ munus ſit ſacerdotium, quãq; non modo ad ho norẽ & ad dignitatẽ inſigne, ſed ad curam animiq; ſolicitudinẽ graue. Cuius ſuſtinendi cum duplex oĩno ratio ſit, morũ, et doctrinæ: In vtraq; ſũma tibi cura eſt diligentiaq; ponẽda, et (qđ ad mores attinet) danda opera, vt manũ, linguã, mentem ab omni ſceleris cõtagione caſtam & integrã ſerues, cauendumq; ne quod in omni vita vllius flagitij veſtigium appareat. Omnium præterea voluptatum & libidinũ illecebræ declinandæ ſunt, qđ nulla res maiorem vim habeat ad aĩos adoleſcentiũ corrumpendos, & ab officij regione deducendos. quæ res tametſi difficultatẽ nonnullã habere videtur, tũ ſi ſecum reputare voluerint ij, qui ſacris initiantur, ſeſe Dei eſſe adminiſtros, facile intelligent, qui apud hoĩes Deum referunt poteſtate, eoſdem illũ ipſum Deum vitæ imitatione & ſimilitudine referre oportere. Neq;.n. ſacerdotibus cõmuni tantũmodo oĩum Chriſtianorum officio curſus quidam vitæ ab omni vitio diſiunctæ, et cũ virtute cõiunctæ eſt tenẽdus, ſed præcipua quædã et magis neceſſaria rõ virtutis a Deo ipſo illis eſt impoſita, cũ illorũ vitã edito loco ſitam eſſe diceret, in qua cæteris hoĩbus exemplũ ad imitandũ eſſet propoſitum: cũq; illos lucernarũ perſimiles eſſe prædicaret in montiũ vertice conſtitutarum, quarũ virtute ac ſplendore lumen cæteris mortalibus præferretur. quæ præcepta ſi noſtri tpis ſacerdotes ſecum ipſi interdũ agitarent, & cũ Deo maiore in gratia, et cum hoĩbus maiore eſſent in honore; minuſq; ex inuidia et populorũ offenſione laborarent. nũc illorum maxima pars Diuinorũ monitorum penitus obliti, oĩbuſq; idcirco flagitijs & ſceleribus contaminati in ſumma iacent po

pulorum cōtēptione. Ab hac tam perdita tamq́ profligata ratione te volo Roberte abhorrere: neq́ putare (qđ pleriq́ ſtulti facere ſolent) in cæterorū vitijs, ſi iiſdem tu, quibus illi, fueris inquinatus, tibi excuſationē ineſſe: ſed contra potius eo maiorē laude dignam fore virtutē tuam, quo pauciores ſocios habebis. Quare oīs vitæ ratio ad eorū ſimilitudinē tibi eſt accōmodanda, quorū laude (q̄q̄ pauci ſunt) ordo ſacerdotalis, qui cæterorū infamia premitur, ſubleuatur. Neq́ tū cum ab iſtorū lutulentis vitijs abfueris perfectum opus tibi debes exiſtimare, ſed alia quædam ſupereſſe putare, quæ tibi nequaq̄ ſint negligēda. In primis Modeſtiæ ratio. quæ virtus vt eſt propria ætatis tuæ, ita tibi alia maiore rōne ſeorſum a cæteris adoleſcentibus magnopere eſt amplectenda. Nihil eſt. n. qđ aīos hoīum ab officio magis abducat, q̄ ſecundæ res bonaq́ fortuna. hæc ſolet aīos hoīum inflare ſpirituſq́ quoſdam elationis & temeritatis plenos ſecū afferre. quæ res facit, vt cū amplitudo fortunæ non ſatis æquis oculis ab hoībus aſpici ſoleat, ſi ad illam ſuperbiā præterea arrogantiamq́ adiunxeris, intolerabilis res fiat; ſummoq́ in oīum odio verſetur. Quare omni rōne cohibendus eſt hic impetus, modeſtiæq́ freno coercēdus, omniſq́ aſperitas vitanda, contraq́ ſūma humanitas atq́ in oībus & dictis & factis ſuauitas inducenda. qua virtute vt nulla eſt Chriſtianæ profeſſioni coniunctior, ita nec quæ magis ſecūdæ Fortunæ inuidiam mitiget, cōemq́ hoīum beneuolentiam illi cōciliet. Neq́ tū vt in vnaquaq́ re magnam habet reprehenſionē nimiū eſſe, ita in hac nobis eſt cōmittendum, vt dum modeſtiæ laudem nimium conſectamur, ad leuitatem dilabamur. Sed ita temperan

da eſt tota ratio, vt ſimul cum humanitate grauitatis rõnem habeamus. Neq́;.n. cum aditus faciles laudo idcirco proiectam nimiſq́; familiarem cum quibuſcũq́; hominibus etiam ignotis conſuetudinem probo: neq; ſi ſuperbum ſupercilium & frontis cõtractionem deteſtor, ideo minorem mihi ſtomachum facit leuitatis ac fuci cuiuſdam plena ſummiſſio. Sit igitur in vultu cũ dignitate quadam cõiuncta hilaritas, abſit humilis blanditia: ſit in ſermone ſuauitas, vitetur aſſentatio, ſit in quotidiana conſuetudine facilitas & comitas, faceſſat diſſolutio. Atq; vt ſũmatim dicam, nõ ita humanitatis laudẽ amplexemur, vt grauitati & dignitati parum cõſulamus, neq; rurſus grauitatis retinẽdæ cupiditate ita efferamur, vt ab humanitatis ratione abhorreamus. q̃q̃ ſi in alterutram partẽ peccandũ ſit, ad humanitatẽ potius eſt incumbendũ, quod grauitas & dignitas fortunæ ſplẽdore facile ſeſe tueantur. Ad mores adiungenda eſt doctrina. In qua re ſi tu vt reliqui Adoleſcentes liberam haberes voluntatem, ad qđ te ſtudium potiſſimũ conferres, plus operæ ſumerẽ in ſñia mea de ea re tibi exponenda: plurimumq́; darem animi tui propẽſioni, quam vt ſequereris, te hortarer. Cũ vero ſacerdotis officium in Chriſtiana doctrina hoĩbus tradenda in primis ſit explicandum, nullumq́; maius in Chriſtianũ populum eſſe poſſit ſacerdotis munus: eiuſq́; doctrinæ prædicandæ cã a Chriſto ipſo toto Orbe terrarũ legati ſint, intelligis profectó hanc tibi libertatem a ſacerdotis profeſſione præcidi: Theologiæq́; ſtudium, quod cæteris quoq; hoĩbus ſua nobilitate oĩum ſtudiorum debeat eſſe iucundiſſimum, tibi ẽt eſſe neceſſarium. Hoc igitur tibi propoſitum eſſe debet, eoq́; omnis labor, opera,

diligentia tibi eſt ponenda, Cæteraq́ꝫ oĩa quæcũqꝫ leges, & audies ad illud ſunt referenda. Ac Theologiæ ſtudium eſt eiuſmodi, qđ etiã ſi oĩbus ornamentis careat, quibus cætera ſtudia cõmendari ſolẽt, tñ ſubiectæ materiæ dignitate, quæ eſt Deus, maximaq́ꝫ utilitate, qđ ad æternam ſalutẽ, beatitudinẽqꝫ hoĩbus iter monſtret ac patefaciat, oẽs homines neglectis cæteris ad ſeſe attrahere debeat, cũ vero ad materiæ nobilitatẽ oĩs gñis ornamenta acceſſerint, q̃ non probanda eſt illorũ ratio ne dicã vituperanda, qui ab hoc ſtudio abhorrent? Caue. n. putes Roberte, vllum doctrinæ genus aut maiore copia, ac rerũ varietate, aut maiore eloquentia, aut ſubtiliore diſputandi rõne, aut a præſtantioribus hoĩum ingenijs vnq̃ fuiſſe tractatum. vt veritas, quæ huic ſtudio ſubiuncta eſt, quæ ẽt ſine vllo fuco nuda & ſimplex ſua pulchritudine & ſpecie eſt iucunda, admirabiliores ẽt habeat delectationes luce oratiõis ornata. Nam vt omittam ſacros ipſos vtriuſqꝫ teſtamenti libros, qui cũ Diuino ſpiritu dictante conſcripti ſint, ſua ſeſe maieſtate ſine ullo fuco aut verborũ ornamentis ſatis cõmendant; quis Baſilio in diſputando acrior, aut ſubtilior, aut grauior? quis maioribus ingenij, aut doctrinæ opibus inſtructus? Quid? in Nazianzeni oratione præter eximiam ſacrarũ rerũ ſcientiam, ob quam merito eſt Theologus appellatus, præſtantẽqꝫ in omni gñe doctrinam an Demoſthenis ſonitus & fulgura deſideramus? Chryſoſtomus vero an non beatiſſima illa copia & vbertate omniũq́ꝫ ferè ornamẽtorũ gñe, ingenij præterea nobilitate Ciceronẽ nobis expreſſit? Multiplicẽ vero Hieronymi doctrinam oĩumqꝫ magnarũ rerũ abſolutam notiam, et orationis copiam,

acerrimum quoq; Tertulliani ingeniũ, variamq; eruditionem quo in gradu laudis collocabimus? In Auguſtini vero cœleſti ingenij acie, an nõ præſtantiſſimorũ Philoſophorum laudibus Chriſtiana gloria rũdit? cuius in diſputando, erroribuſq; refellendis, Veraq; doctrina aſſerenda acerrimam vim quæ ſatis æquare poſſit admiratio? Quid? Recentior hæc ſcholaſticorũ induſtria an eſt ſilentio prætereũda? quorũ ratio diſputandi quãuis nõnullis paulo anguſtior, pauloq; exilior, ac ſpinoſior uideri poſſit, tñ negare nõ poſſumus, lumen ab ea præferri iterq; monſtrari, quo minore cum erratione quæ cõtraria videantur inter ſe aptare, ambigua diſtinguere, ac deniq; in ampliſſimis illis ſacrorũ librorũ ſpatijs liberius poſſimus, minoreq; eum offendẽdi periculo excẽrere. Deinde cum ad doctrinas conſequendas magnam partẽ ſine dubio ordo obtineat, certe veterũ ſcripta ſplendida illa quidẽ, ac prope Diuina hac cõmoditate carent: neq; quiſquam ſiue de Græcis, ſiue de latinis fuit, qui illud ſuſceperit ac ſpectarit, quẽadmodũ totam Theologiæ doctrinam plenam et abſolutam traderet, remq; a principio ad extremũ ordine quodam ꝑduceret: Sed modo hanc modo illam rẽ tractantes, diſputationes ſuas ad Eccleſiæ tp̃a accõmodabant. Quorũ egregia ſcripta cũ hac ordinis luce carerẽt, Diuino cõſilio factũ puto, vt recentiora hæc ingenia exiſterent, quæ qđ ſuperioribus deerat, id ipſa acumine & diligentia ſua adderent, confuſaſq; illas & ſparſim tractatas q̃ones in ordinẽ digererent, ſeriemq; quandam cõficerent, qua rebus alijs ex alijs annexis & dilucidior eſſet hæc doctrina, & ad perdiſcendũ facilior. Quorũ hoĩum labor & induſtria haudquaq̃

videtur aſpernanda. nam etſi multa ſæpe inculcant a Philoſophis ſumpta, quæ fortaſſe omittere potuiſſēt, nōnulliſq́ꝫ q̄onibus forte ſuperuacaneis hoc ſtudiū cōſperſerunt, a quibus abſtinere potuiſſent, tū ijs reiectis poſſumus quæ vtilia in ipſis ſunt, carpere. Quid illa: quanta eſt huius doctrinæ cōmendatio, qđ cum reliqua ſtudia ingenia tantū hoīum vimq́ꝫ intelligeudi oblectent, ac teneant, ſacræ literæ animi ēt affectum paſcant, & eo quidē pabulo, quo nullū ſit aut ad ſenſum iucundius, aut ad fructum vtilius. aīos. n. hoīum terrenis his & caducis bonis incubantes totos immutant, & ad cœleſtium rerum amorē traducunt, ſublimeſq́ꝫ quoſdam ac Diuinos ſpiritus paulatim inſtillant, quibus humiles has fluxaſq́ꝫ res deſpiciant, ac pro nihilo ducant, cōtra diuinas ſuſpiciant, in eaſq́ꝫ oībus animi motibus tantū modo ferantur. Qua re fit, vt ſic affectæ mentes puriſſima ac ꝑpetua tranquillitate fruantur, nullis cupiditatibus excędantur, nullo metu ſolicitentur, nullis ægritudinibus lacerētur, nulla inani lætitia titillentur, nullis deniq́ꝫ ꝑturbationibus exagitentur, quippe quibus oīa humana contēptui ſint, futuraq́ꝫ beatitudo ab ijs ſtudijs ēt in hac vita ferē repreſentur. Huc ēt accedit, qđ Theologiæ vtilitas non æterna illa, cœleſtiq́ꝫ beatitudine tantūmodo terminatur, ſed humanarū quoq́ꝫ rerum adminiſtrationē cōplectitur. Neq́ꝫ. n. ab vllis Philoſophorum ſcholis vitæ Ciuilis præcepta aut ſubtilius ſunt, aut elegantius, aut vero ēt vberius tradita ꝙ̄ a Theologis noſtris. Quare cū tu Maximæ oīum Reipublicæ Senator creatus ſis: ob eamq́ꝫ rem rerum Politicarū cognitio tibi in primis ſit neceſſaria, debes te toto pectore ad illud ſtudium cōferre, qđ te in illis ſocere poſſit.

inſtructiorē. Neq; tū te ad Theologiam tam vehementer hortor, vt a reliquis bonarū artium ſtudijs planè deterreā, ſed vt moneam tibi in ijs ita eſſe verſandū, quaſi ex illis ad Diuinam doctrinam tibi gradus quidam fiat. vt.n. infectores nō ſtatim neq; temere quācūq; lanam conchylio tingunt, ne per rudē materiam aliquid de purpuræ ſplendore detrahatur, ſed lanā prius viliori fuco inficiunt ac molliorem reddunt, vt ſuperinductum Oſtrum ſplendidius niteat: ſic adoleſcentiū animi, in quos Diuina doctrina eſt infundēda, liberalibus ſunt prius artibus informandi, atq; imbuendi. quibus perpoliti ſenſa illa Diuinarum rerū non quidē præſtantiora efficiunt, (neq;.n. pōt vllo modo) ſed & ad ea percipienda inſtructiores fiant, & percepta maiore cum dignitate poſſint efferre. Ac quēadmodū nō ſi ad fructuum copiam & ſuauitatē nihil folia valent, ſunt tū frondes planè abijciendæ, q̃ arboris decor plurimum illarum ornatu cōmēdetur, ita nec ſi Diuina doctrina nullo extrinſecus præſidio ſubnixa ſuis tū radicibus firmiſſime hæret, ſeſeq; viribus ſuis abunde tuetur, ſunt tū ideo ab illa cæterarum doctrinarum ornamenta repellenda, quæ etſi eam meliorē non faciunt, hoīes tamen, in quibus ea ſunt, nō modo exornant ſed magna ēt illis ad illam tractandam afferunt adiumenta. Itaq; tibi impedimento eſſe nō poſſumus, quo minus aliquot ēt ætatis tuæ annos ponas in ijs ſtudijs, ſed ita, vt non illa exiſtimes Chriſtiano homini, Sacerdoti præſertim per ſe eſſe quærenda, ſed (vt dixi) ex ijs putes expeditiorem viam tibi ad Diuinam doctrinam cōmuniri: neq; (quod pleriq; faciunt) vt omnem tibi ætatē in ijs ſtudijs ponendum cenſeas, ſed ſuſceptam in ijs diligentiam eo vſq; per-

ducendam,quo ad te ad grauiorem doctrinam ſatis ab illis inſtructum ſentias,ad quam cætera omnia ſtudia, et conſilia tua tibi ſunt dirigenda,illiusq́ꝫ vtilitate proceſſus in cæteris artibus terminandi. Hæc ferè ſunt Roberte Ampliſſime, quæ ego & ætati tuæ, & honori,quem es aſſecutus,ſingulare meũ erga te ac Parentem tuum,totamq́ꝫ domum veſtram ſtudium debere exiſtimaui. in quibus exponendis cum videam me Epiſtolæ modum penè tranſgreſſum,finem tandem faciam, ſi vnũ prius tanquam Epiſtolæ clauſulam addidero: Cum Iulius Tertius apud te Dei cuiuſdam vim ac numen pro immortalibus beneficijs ſuis debeat obtinere,nullo te obſeruantiæ genere,quod illi gratius ſit,tantorum beneficiorum magnitudini reſponſurum, quàm ſi in ea pietate ac ſtudio,quibus Pontificem ipſum tibi perpetuo colendum eſſe ſtatueris, Innocentium quoq́ꝫ fratris illius filium patronum meũ adiunxeris.nam cum is in amore apud Iulium filij ſuauitatem obtineat,quancunq́ꝫ tu partem beneuolentiæ, ſtudij atq́ꝫ animi tui in Innocentium conferes, eam Iulius non ſibi detractam putabit,ſed dupliciter redditam. Vale.

Romæ Non. Cal. Ianuarias. 1553.

BIBLIOTECA NAZIONALE
786728